§. VII.

Alterum, quod ſubducere volebamus, tale eſt. Video in Republicâ codicem quendam, quem eſſe legum dicunt, ab ipſo Authore Reipublicæ conditarum. Dubitare non poſſum, quamdiu codicem publice in Senatu expoſitum, & in eorum manibus video, qui Magiſtratum cum authoritate gerunt, ſucceſſione, ac viâ legitimâ partum. Quid? de eccleſiaſtico codice, qui verbum Dei ſcriptum complectitur, differendum aliter eſſe putabimus? Verſatur in factis hæc quæſtio, volumen iſtud an verbum Dei contineat, quas partes, quas ſententias complectatur? neque illud nunc agitur, an vera ſint, quæ in eo leguntur, ſed an *verbum Dei* ſint, an ita vera ſint, ut, ſiquis ſciens negaverit, non jam imprudens, ùt alias, ſed in Deum ipſum rebellis, ac perfidus ſit. Id autem quâ tandem viâ, amabo, decidemus? Habent (non enim negamus) libri illi notas quaſdam ſingularis ſanctitatis, ſimplicitatis, candoris. Sed hæc præjudicia ſint, argumenta non ſunt. Neque in his nos conquieſcimus, ut perperam ſumit diſceptator quidam recens, de quo ſtatim, cum Deiſtas premimus; ſed emollimus, ac præpa-

ramus tantummodo mentes istas duras, ut intelligant, nihil causæ esse, quamobrem Divinitatem horum librorum perplexam faciant, cùm id eis ostendimus, esse, quæ in iis leguntur, digna, quæ Deus locutus sit; locutum reipsa esse, neque inde conficimus, neque ex cæteris, quæ afferuntur. Nam etiam in sublimitate mysteriorum quid est amplius, quàm magna vis præjudicii cum admiratione conjuncta? Habent præterea obscuritatem, quæ intellectum, nisi aliunde is impellatur ad assensum, retrahit potius, aut certe sic detinet, ut, quo eundum sit, sibi relictus non sciat. Prophetiæ autem, quibus res futuræ prædicuntur, quantulam partem sacri voluminis explent? Quam mirum torqueri à morosis disputatoribus solent? Valent vero tum solum ad convincendum, cum de eventu constat. Eventus autem hi ipsi, si plerosque spectemus, non aliunde, quam ex ejusdem sacri voluminis libris nobis innotuêre. Cum itaque de his ipsis quæratur libris, an verbum Dei contineant; quam demum vim habebunt Prophetiæ, ad quæstionem dijudicandam?

Atqui ad hæc advertere animum debebat, Author iste recens, quem mox indicabamus. Non enim commisisset, ut præ

di-

dilectione opinionis cujusdam præconceptæ, quam nos minime ei invidemus, cum Proteſtantibus mallet ex characteribus hujusmodi, ut ait, intrinſecis, ſcripturæ divinitatem intelligi, quam ex traditione divina. Neque etiam ſumpſiſſet id ſibi, ut à graviſſimis, quos nominat, viris, atque adeo à Catholicis omnibus diſſentiens, apud Proteſtantes fidei divinæ eſſe locum diceret. Hujus enim talis eſt ratio, ut & falſum illi ſubeſſe nullo pacto queat, & formidinem omnem repellat erroris, trepidationemque hæſitantis animi; tum ita comparatus is ſit, qui credit, ut, ſiquidem vere, ac Dei loquentis inductus authoritate credat, nihil penitus omnium, quæcunque locutus eſt Deus, aut neget obſtinate, aut in Controverſiam vocet. Quæ tria ſi Proteſtantibus damus; profecto aut noſtra prodidimus, aut in pugnantia incurrimus. Ut igitur ſemel dicamus, volumina ſacra an verbum Dei exhibeant, aut ſigillo Dei munita ſint, cùm FACTI quæſtio ſit, conſtare id nobis nonniſi publicâ authoritate & teſtificatione poteſt. Hæc autem aut nuſpiam, aut in Eccleſiâ Catholicâ eſt, & ſola quidem, non truncata illa, cujuſmodi ſcriptor iſte recens ſibi eam propoſuit, ſed prout cor-

pus

pus individuum eſt, Apoſtolos, Chriſtumque ipſum Authorem, ac Caput ſuum complectens. Prorſus divina igitur, non eccleſiaſtica, non humana, ut iſte loquitur, traditio hæc eſt. Humanam qui faciunt, præterquam quod Canonem ſacrorum librorum loco moveant, & quorumvis inſomniis committant hominum novaturientium, ac ſuperborum, tum illud oſtendunt plus quam abunde, ignorare ſe penitus, quæ vis ſucceſſionis ſit, de quâ hactenus egimus, quid privatos inter, ac publicos Magiſtratus interſit, verbo, quid ſit, corpus integrum atque perpetuum, cui cuſtodia publica commiſſa legum eſt, loqui. Itane vero? ſi Chriſtum ipſum hoc, quo ſcribimus, anno aſpectabilem inter nos haberemus, tum eoſdem ille, quos nunc habemus, Epiſcopos teſtes, & ut ita dicamus, Caduceatores verborum ſuorum ad nos mitteret; auderemusne, quod ſic iſti ejus nomine teſtarentur, teſtimonium humanum adpellare? Atqui, ut ſupra docuimus, anni illi mille & octingenti, quos nunc prope à Chriſto numeramus, annus unus ſunt. Hoc enim ſucceſſio præſtat. Quod ut palpandum manu demus, à metaphyſicis rebus ſumamus exemplum. Nôrunt qui aliquanto purius philoſophantur, inter ſpatium

tem-

temporis, & ſpatium loci differentiam eſſe nullam, præterquam relationis. Hinc qui ſemel illud conſtituit animo, Deum ab æterno eſſe, ne quæri quidem patitur, an immenſus ſit. Scit enim, eum, qui ſatis ſibi ipſi eſt, ut ſemper ſit, ſatis etiam eſſe, ut ubique ſit. Quodſi igitur nunc ego in extremis Americæ finibus poſitus, cum Magiſtratum, qui illic eſt, loquentem regis mei nomine audio, tametſi hic mille & octingentis leucis à me diſtet, ſic tamen accipio, tanquam regem ipſum loquentem audirem: quid eſt, quod in divinis rebus poſt annos mille & octingentos Magiſtratum Dei mei, quem neque temporum, neque locorum circumſcribere ſpatia ulla poſſunt, non perinde accipiam loquentem atque teſtantem, tanquam ſi Deum ipſum audirem. Quod diſtantia locorum in humanis non poteſt, id temporum ſcilicet in divinis poſſit? Mira res! Quidvis capimus, hoc unum non capimus.

§. VIII.

Reſtat tertium, quod ſubducere ſtatueramus, peregrinum illud quidem hoc loco fortaſſis, ſed neceſſarium, ex quo noſter ille, ut ſuum iſtud tueatur, credi à Proteſtantibus divinâ fide poſſe revelata in ſacris ſcripturis, tametſi, quænam ſint eæ

ſcrip-